

XIX.

Neque dictis obicem ponunt, quæ in thes. II. pro contraria sententia adducta sunt. Nam licet in *l. contractus 17. C. de fid. Instr.* etiam Arrhæ datio contractus dicatur; exinde tamen non sequitur, quod sit verus & proprie dictus contractus. Cum vocabulum contractus sæpe late & improprie accipiatur, ut ea quoq; comprehendat negotia, quæ proprie contractus non sunt. *l. 23. ff. de R. I. l. 49. ff. de O. & A. l. 16. de negot. gest. l. 9. ff. de Duob. reis. l. 1. §. 6. de constitut. pecun. l. 8. pr. C. de bon. quæ lib. l. 20. ff. de Jud.* Et quod illud etiam in *d. l. Contractus.* in hac lata significatione sumatur, probat exemplum donationis; quæ ibidem etiam contractus vocatur, & tamen verus contractus non est, sed tantum pactum legitimum; quod non ex se & sua natura, sed ex legis assistentia actionem producit. *l. 35. §. 4. C. de Donat.*

XX.

Nec hilum facit ad contrarium obtrudendum ratio a Sichardo addita. Hæc enim sequela nulla: *Arrhæ datio est diversum quid ab ipso contractu, ergo est contractus per se.* Nam pactum usurarum emptioni adjectum est etiam accessio, & diversum quid ab ipso contractu; exinde tamen non sequitur, quod illud sit contractus per se. Item chirographi datio licet sit diversum quid ab ipso contractu, illam tamen non verum & per se subsistentem contractum esse, in propatulo est.

XXI.

Neque contrarium evincit, quod Hunnius addit, & in effectu etiam Donellus probat, *in locis supra citatis;* Arrhæ sc. dationem in se habere & conventionem & synallagma. *per l. 7. §. 2. ff. de Pact.* Etenim vocabulum Causæ, secundum veriore sententiam, in *d. l. 7. §. 2.* nihil est aliud, quam datio vel factum sub lege mutue præstationis; ita ut tunc demum causa subesse, & contractus innominatus initus videatur, si prævio consensu quid datum vel factum, simulq; hoc expresse conventum fuerit, ut alter vicissim aliquid det vel faciat; uti ipse Jctus hoc ita explicat in *d. l. 7. §. 2.* dicens: *Sed & si in alium contractum res non trans-*

B 2

eat,